




# PALAESTRA LATINA



## SUMMARIUM

- DOCUMENTUM AUSPICATUM, (Jové).  
B. VIRGO την Ἀνάστασιν CHRISTI EXPECTAT (Llobera).  
NARRAGONIA ET CROCODILOPOLIS, (Viator).  
MEMORABILE JUBILAEUM, (Actuaria).  
NOVA ET VETERA, (Jové).  
CURSUS GYMNASIICUS.-Agricolarum felicitas (Martija).  
EPISTULARUM COMMERCIIUM, (Avenarius, Canizares, Jové).  
QUO MODO LATINE VERTENDA HISPANICA VOX PESETA, (Mir).  
PER ORBEM, (Jiménez).  
BIBLIOGRAPHIA, (Jové, Martija, Jiménez).  
DE LATRONIBUS FABULA - COROCOTTA, REX LATRONUM, in operculis.  
EXERCITATIONES SCHOLARES, in operculis.  
COMPOSITIONES VERTENDAE, in operculis.

II AULUS CRASSUS STUPORE MAXIMO  
ET IRA CORRIPITUR



ROMANI vero a Co-  
rocottae incursionibus  
tutos se credebant.  
Pridie tamen Kal. Ju-  
nias janitor Auli Cras-  
si equitis Romani, lo-  
cupletissimi atque sac-  
vissimi viri, ad limen domus sub janua invenit schedulam,  
lineo filo clausam et obsignatam, quam ad dominum modo  
expergetactum deferre properavit. Is autem legit quae in  
schedula scripta erant et statim obstupescit. — Quis hoc  
tibi dedit? — exclamat minaci vultu. Tum ostiarius toto cor-  
pore contremiscens: Nemo, domine... — Nemo... nemo...?  
— Inveni sub janua et... — Invenisti? quis, ergo, attulisti?  
Responde, carnifex! — Nescio, domine... Nescis! Nae tu  
quidem diligens servus es! Heus, Sannio, arcesse Aethio-  
pem—. Aethiops autem servus erat Afer, corporis proceri-  
tate mira atque amplitudine, colore nigro, truchus oculis,  
qui ministros peccantes caedebat virgis, tantaque erat,  
quantae dominus, crudelitate. Miser ostiarius ad Auli genua  
procubuit; hic vero flentem et ejulantem servum calcibus  
impetivit in terramque projecit. Quem cum ipse Aethiops  
asperere sublevaret secumque esset adducturus vox, puellaris  
audita est inclamans: Mi pater, mi pater...! ecquid agis?

III TERENTILLA, AULI FILIA, PATRIS IRAM PLACAT



QUA audita voce Aulus ad lenitatem  
rediit, agnoverat enim vocem Terentillae  
filiae quam unice diligebat. Ad eam igitur  
subridens accessit et amanter: Quid?  
carissima, — inquit — jam ledo surrexis-  
ti? — Peropportune, respondit puella,  
nam, si potero, misero isti Syro (id nominis erat ostiario)  
veniam abs te impetrabo. Interim supplices in patrem fige-  
bat oculos cum gelasino: Age, mi pater, quid est tandem  
quod fecit Syrus? — O quam erat venusta sic, supplicanti  
similis! Quapropter pater in eam inhiabat, quae quidem vi-  
cesimum annum nondum attingerat et cum maximis corporis  
dotibus virtutes animi jungebat. Aulus diu tacuit et tan-  
dem: Quid Syrus fecerit interrogas? Graviter peccavit im-  
prudencia sua — Peccavit? oh! — dixit Terentilla cum expo-  
sitione et simul respexit servum qui miserabili modo  
deflebat. Et ad patrem conversa persecuta est: Mi carissime  
pater, si filiam amas, ignosce Syro. Mox enim dies natalis  
meus adveniet quo die  
non nihil semper mihi  
praebere soles. Jam  
nunc da mihi illius  
veniam ac nihil am-  
plius postea efflagi-  
tabo.





# PALAESTR LATINA

MENSTRUUS DE LATINITATE COMMENTARIUS

Pretium subnotationis annuae, solutione antelata, est 6 pesselarum in Hispania, 7 in America et Lusitania, 8 in reliquis civitatibus. Pretium mittatur oportet ad Administratorem: CERVERA (Lérida) - Universidad - España.

## DOCUMENTUM AUSPICATUM

*JAM jam prelo erat subiturus praesens «Palaestrae Latinae» numerus, cum ecce ab Urbe, a Civitate Vaticana insigne nobis accessit documentum, quod libentissime lectoribus nostris legendum exhibemus atque degustandum. Nostrae Congregationis Claretianae Procurator Generalis, ea qua est amabilitate et sedulitate praeditus, Adm. Rdu. Pater Johannes Postius Sanctissimum Dominum Nostrum Pium XI Papam quarta nostri commentarii serie obsequi voluit. Quam benigne, quamque grate receperit obsequium beatissimus idemque humanissimus Pontifex eae litterae testes erunt et larga benedictio quam et nobis et omnibus nostrae Congregationis fratribus est impertitus. Quam benedictionem nos equidem accipimus novae prosperitatis augurem in nostra Latinitatis provincia.*

EMMANUEL JOVÉ, C. M. F.

*Palaestrae Latinae Moderator*

SEGRETERIA DI STATO

DI SUA SANTITÀ

DAL VATICANO, 7 febbraio 1935

N.º 141333

DA CITARSI NELLA RISPOSTA

Rev.mo Padre,

L'Augusto Pontefice ha accolto con animo grato e compiacente l'annata 1934 di "Palaestra latina" che la P. V. Rev.ma Gli ha umiliato a nome non solo del Direttore della Rivista, ma anche dell'intera Famiglia Religiosa del Beato Claret. Con animo grato per la dimostrazione di filiale pietà che Gli viene offerta da questo devoto omaggio; con animo compiacente per i buoni servigi che tale Rivista rende alla lingua di Roma e della Santa Chiesa.

A conferma pertanto della Sua particolare benevolenza Sua Santità imparte di cuore a Lei, al Direttore della "Palaestra latina" ed a tutti i Figli del Cuore Immacolato di Maria l'Apostolica Benedizione, propiziatrice dei celeste favori.

Io poi ringraziando dell'esemplare a me cortesemente destinato, profitto volentieri dell'opportunità per confermarmi con sensi di sincera stima

della P. V. Rev.ma  
aff.mo nel Signore

*E. Card. Pacelli*

Rev.mo Padre P. GIOVANNI POSTIUS, C.M.F.

Procuratore Generale

dei Figli del Cuore Immacolato di Maria. - ROMA

## B. VIRGO THN 'ANAΣTASIN CHRISTI EXSPECTAT

(Imit. Hor. C. IV, 5)

*Almo nate Deo, deliciae meae  
 Jesu dulcis, abes. Ne fuge me diu;  
 Maturum reditum sollicitae tuae  
 Matri pollicitus, veni.  
 Gratam laetitiam luce magis refer:  
 Instar solis enim affulsit ubi tua  
 Arridens facies, gratior it dies,  
 Tellus pulchrior et nitet.  
 Ut cervus sitiens, omnibus ignea  
 Venis fusa sitis cui miseros premit  
 Artus, quaerit aquas lustra per avia  
 Inter mille pericula,  
 Vestigare oculis et laticem, licet  
 Defessus rapido sole, nec abstinet;  
 Sic desiderio pervigili Parens  
 Natum exspectat amabilem.  
 Pallentes etenim sollicitudines  
 Te praesente procul diffugiunt simul  
 Curarumque animo solvitur intimo,  
 O Fili, stimulus latens;  
 Cor nostrum afficiunt dulcia gaudia,  
 Omnes laetitiam frontibus explicant,  
 Secedunt lacrimae luminibus, sonant  
 Festis omnia vocibus.  
 Quis Scribam paveat? quis Caiphae minas  
 Turbarum aut furias prava jumentium  
 Ferrum pectoribus quique adamantinam  
 Heu, heu! duritiam gerunt?  
 Demptum te lacrimant discipuli graves,  
 Quos nutrit tacitum vulnus et asperum  
 Nunc sub pectore; eis o! miseris velis  
 Jam succurrere deprecor.  
 Aures, Nate, meis vocibus applica,  
 Votis et precibus da, bone, plurimis  
 Matris te facilem, quae lacrimis modo  
 Te, te prosequitur piis.  
 Ad nos jam venias o utinam cito,  
 Et votis cumules! dicimus integro  
 Tristes mane die, dicimus anxii  
 Cum sol aequore tingitur.*

JOSEPHUS LLOBERA, S. J.

## Narragonia et Crocodilopolis

### ACTUS TERTIUS

#### III 2, MOPSUS a Bufone ductus prodit; alii omnes ut in scaena prima (sequitur)

ALMANSOR. — Hac in re Bufo indicat minime perperam.

BARO. — Per me nihil obstat, quin Theophrastus accersatur.

BUFO. — (*sibi ipse loquitur*) Ludificabor atque cavillabor hos principes: ego met ipse me geram pro vate et manifestabo verba verbis modo prolatis omnino contraria. (*abit*)

ALMANSOR. — Permulta fando audivi de Theophrasto illo Paracelso. Qui fatidicus arte vaticinandi aliis omnibus multo praestare perhibetur. Neque dubito, quin a vobis obsecratus, qualis sit exitus belli, nobis aperiat sine ambagibus.

BARO. — Sed si ejus et Mopsi vaticinia inter se discrepent, utri vati habebimus fidem?

ALMANSOR. — Illi, qui non coactus vaticinatus est, credere summae mihi videtur esse prudentiae. In Mopsi verbis malitiam quandam et malignita-

tem fuisse nemo erat, quin animadverteret: animo erat exacerbato et nos ludificabatur nugis. Quodsi Grobianum ipsum jussu deorum mactandum esse contendisset, num essemus ei obsecuti? Si Theophrastus idem affirmaverit, hoc nobis perficiendum esse concedam. Sed aliter cum eo nobis agendum erit; age, promittamus ei fore ut ei, si vaticinium ejus exstiterit verum, magna praemia tribuamus!

BARO. — Sed quid faciemus alteri, si eum mendacia nobis prolocutum esse apparuerit?

ALMANSOR. — Afficiamus eum contemptione! Contemptione occidetur! Colloquio decertare cum poetis et vaticibus nobis non erit commodo. (*prospicit*) Sed ecce, quemdam huc advenientem video veste insolita indutum; nihil dubii quin sit ipse vates petitus, Theophrastes Paracelsus.

#### III 3, BUFO (=TH. PARACELsus); alii omnes ut in scaena prima et secunda

BUFO. — (*voce mutata et simulata*) Optatis, principes et equites nobilissimi, ut audiatis, qualis sit belli exitus. Ultima nocte mihi, cum essem in somnis, quidam apparuit et: «Surge», inquit, et transi in praetorium regis Narragoniae. Annuntia regibus, quaecumque in lingua tua ponentur. Dilue ac refuta verba Mopsi plena fallaciae et impedi caedem, quam suasit committendam; occidendus autem erat Bufo rerum militarium et civilium sine exemplo peritissimus.

BARO. — Ergo Mopsus Thrax nos docuit falsa?

BUFO (TH. P.) Certissimè! Sed vos ipsi eratis auctores hujus consilii, quod

vati vim intulistis et ea ipsa pronuntiare coegistis, quae facta essent calamitati vestrae; nam in hoc ipso Bufone conservando et summa cura custodiendo posita est totius exercitus salus et incolumitas.

BARO. — Age, dicdum nobis, ambagibus remotis, quae faciamus, ut exitus belli nobis jucundus acceleretur.

BUFO (TH. P.) — Voluntas deorum est, ne Bufonem exponatis ulli discrimini; nam totum bellum, simulatque aliquid periculi ei acciderit, exitum habebit vobis miserrimum. Qua de causa Mopsus, cum id ipsum non ignorasset, suasit vobis, ut ultione citati eum mactaretis hostiam. Crocodilopolim ergo obsidentes parcite

Bufoni, neve unquam in aciem eum duxeritis, sed eo utimini consiliorum auctore ac suasore! Neque vero bellum erit magna diuturnitate et, Crocodilopoli tandem funditus eversa et triumpho reportato, redibitis in Narragoniam patriam. Quae cuncta vobis iussus eram manifestare. Age, nunc permittite, ut a vobis discedam in meam mansionem!

BARO. — Noli succensere, vir sapientissime, quod hoc unum te interrogem. Indica nobis, quo signo tuum verbum rectius esse quam Mopsi fuisse dignoscamus!

BUFO (TH. P.) — Udenam, homines increduli, sciam, quae antea egeritis cum Mopso isto Thrace? Minime ea vobis possem referre, nisi divinatione essem inspiratus et illuminatus.

BARO. — Nescivimus, an de his rebus antea collocutus esse cum legato nostro extraordinario.

BUFO (TH. P.) — Me, antequam huc adveni, cum nullo unquam hodie colloquum me instituisse confirmo et attestor.

### III 4, BUFO veste priore indutus utitur voce ordinaria; alii ut in scaena prima

BARO. — «Quid petis», Bufo, «facie tam tristis ac pallidus?» (1)

BUFO. — «Vae mihi misello, quod vatem qui me servare potuerit, nusquam possim invenire! At si serio rem examino, nihil est cur moerore afficiar; immo me gaudere oportebit, quod meo interitu totus exercitus servetur et triumphum agat gloriosum. Quantum erit honor meus, quod hac occasione moriar! Quamobrem laetus trado vitam nihil exoptans nisi ut mihi erigatur statua, cui inscribatur: «Hic jacet Bufo ille clarissimus...» Reliqua vobis ipsis in mentes incident.

BARO. — Absit, mi Bufo, hoc consilium! Vita tua nobis multo pluris est quam ut mactetur. Ex tua solius vita pen-

BARO. — Agedum, dic mihi, quis sim ipse!

BUFO (TH. P.) — Tu es Baro illustrissimus rex Narragoniae; conjux tua est Berberitia, filiulus autem tuus unicus trium annorum est Chrysocantharus, nomina filiarum tuarum domi relictarum sunt Rosalinda et Balsamina; hic est Almansor rex Utopiae, hic Bombus comes Batrachiae, hic Gambrinus comes Paeoniae.

BARO. — Profecto nunc te novimus vatem veridicum.

BUFO (TH. P.) — Proinde in posterum deponite diffidentiam, (abit)

ALMANSOR. — Ille revera erat vates.

BARO. — Vel abditissimas res et praeteritas cognorat.

ALMANSOR. — Ergo consilio ejus nos parere oportebit.

BARO. — Boves et oves cito mactemus, ut ei convivium instituamus.

ALMANSOR. — Imprimis expectandum erit nobis, dum Bufo redierit cum nihil aggredi nobis liceat sine ejus consilio. (*prospicit*) En ipse advenit vultu maestissimo.

det omnium militum nostrorum salus.

BUFO. — Minime verol Postquam oraculo de me judicatum est semel, non jam vivere studeo diutius.

BARO. — Alterum consilium concepimus, ex quo vivas conservatus ut margarita Indica splendidissima et thesaurus aureus Nibelungorum.

RUFO. — Cum in animos vestros invidiam lividam invasisse animadverterim, egomet ipse vobis invitis mihi mortem consciscam. (*evaginat gladium; Baro, Grob., Alm., Gambr., Bombus accurrunt et genibus flexis ei supplicanti;*)

BARO, GRO., ALM., GAMBR., BOMBUS. — Audi, quaesumus, quae evererint!

(1) Cfr. *Ludovicae Brachmanni poema «Columbus»*.

BUFO.—Resurgite! (*surgunt et ad sua sedilia redeunt*) Audiam.

BARO.—Theophrastus Paracelsus te absente, cum sua sponte ad nos venisset, nobis patefecit Mopsi fallaciam vaticinationis. Nam cum in tua solius vita conservanda totius exercitus positam esse non ignorasset, ulciscendi cupiditate instigatus, nobis persuadebat, ut te mactaremus. Neque igitur ex hoc ipso die periclitandus eris ullo discrimine.

BUFO.—Quid? Mene suspicamini hominem fraudulentissimum ac nequissimum? Hoc fieri licebit numquam! Virtus me fortior est quam ut absim ulli certamini; ubi discrimen erit durissimum, ibi adero laetissimus.

BARO.—Hoc permittemus numquam.

BUFO.—Num ipse compressis manibus deses cessam, dum alii omnes vitam periclitantur? Millies moriar, quam ut subeam hoc dedecus et hanc ignominiam. «Vita inutilis est mors quaedam praematura». (1)

BARO.—Perdona hunc animum Martialem!

BUFO.—Hoc facere nihil possum, quod nimium exardesco flammis. Flagrantissimo studio incitor, ut certamen subeam cum hoste infestissimo.

BARO, GROB., ALM., GRAM., BOMBUS.—(*surgunt, accurrunt ad Bufonem, iterum genibus flexis supplicant:*) Utinam restringas studium ardentissimum pugnandi! Tota nostra ipsorum salus posita est in tua incolumitate.

BUFO.—Resurgite! Operam enixe navabo, ut ardorem pro viribus repriam.

BARO.—(*surgit a sella*) Crocodilopoli expugnata tibi concedemus ut opulentissimos praedae thesauros tibi praeeligas; dum autem urbs obsidebitur, tuum erit hostem nobis adorientibus intercludere a comaeatu. Hic tu manebis cum equitatu, quem tibi committemus. Nunc vero statim incipienda erit oppugnatio. (*omnes abeunt, Bufo solus*)

VIATOR, S. D. V.

## Memorable Jubilaeum

*Palaeſtra Latina jubilat cum Paſtore ſuo. Ecce Exmus. ac Rmus. Episcopus dioecesis noſtrae Celſonensis, Dominus Valentinus Comellas et Santamaria, Pater amantissimus et litterarum Fautor indefessus, die 28 m. Februarii quinquagesimum attigit annum ab ſua ipſius Uctione Sacerdotali. Totum igitur annum quem nuper iniiit, illi fauſtissimum optamus charismatis ſpiritualibus repletum, dum Deum ejuſque Matrem oramus ut tantum tamque carum Praesulem plurimos annos ſoſpitent.*

ACTUARIA

(1) Goethe, *Iphigenia Taurica*, I, 2.





## NOVA ET VETERA

### Alimenta et frugales refectiones commendandae

Ad vitam conservandam et a cottidianis jacturis reparandam non opus est multo aut exquisitiore victu, sed frugali potius atque delecto. Etenim non omnia



Laminula

quae in mensis nobis apponuntur eodem modo ad corporis conducunt valetudinem. Namque alia, quamvis gustu suavia adpectuque jucunda, parum aut ne parum quidem proficiunt sanitati, si ei non officiant. Alia proficiunt sane, at mediocriter tantum, ita ut vix emenda, si ea sint cariora. Alia vero omnino praesto habentur et parvo pretio, et ex alia parte



Panis focaceus

in praestantissimis alimentis numerantur. Ex illis quaedam praebere juvat hodie nostris lectioribus, quibus vitam parcam



Caseus

instituire poterunt et imprimis sanam. Ea igitur consentaneum erit adhibere in cottidianis refectionibus, variis quidem condita modis, ne fastidium creent vel maxime usitata.

In jentaculo (1) matutino focacei panis (2) frustrum (3) sume in poculo (4) lactis, nisi forte malis in pocillo (5) chocolatae (6) per buccellas (7) eum imbibere.



Caepa

Ad prandium sorbitionem (8) primo adhibebis, vermiculis (9) aut macaroniis (10) in

jure (11) carnis enatantibus; deinde in



Chocolata

primo missu elixura (12) uteris, in qua solana (13) et brassicam (14) cum carnis laminulis (15) invenies, ut mos est apud Hispanos. In secundo missu (16) tibi admodum proderit costula (17) assa quam comitentur acetaria (18) communia et caepa (19) et appium (20). In postremis (21)



Solanum

caseus maxime aestimatur; cocta poma et fructuum omne genus. Ad cenam phaseolis (22) uti poteris cum ovis frixis vel stellatis. Non erit tibi injucunda oryza (23) placen-



Legumina

tae (24), mixta frustulis. Quae omnia modico irrigabis vino, eoque haud forti, et praesertim pura aqua. Sic vivitur parvo bene, ut ait Horatius.

(1) *Desayuno*. — (2) *Pan tostado*. — (3) *Trozo*. — (4) *Taza*. — (5) *Jicara*. — (6) *Chocolata*. — (7) *Bocado*. — (8) *Sopa*. — (9) *Fideos*. — (10) *Macarrones*. — (11) *Caldo*. — (12) *Cocido*. — (13) *Patatas*. — (14) *Col*. — (15) *Tajadas*. — (16) *Plato*. — (17) *Chuleta*. — (18) *Ensaladas*. — (19) *Cebolla*. — (20) *Apio*. — (21) *Postres*. — (22) *Judías*. — (23) *Arroz*. — (24) *Tortilla*. — E. JOVÉ, C. M. F.



Elixura

## CURSUS GYMNASTICUS

In Georgica. (II 458-531)

## AGRICOLARUM FELICITAS

Si non ingentem foribus domus alta superbis

Mane salutantum totis vomit aedibus undam

Nec varios inhiant pulcra testudine postes

Inlusasque auro vestes Ephyreiaque aera,

Alba neque Assyrio fucatur lana veneno

465

Nec casia liquidi corrumpitur usus olivi;

(1) *Testudine*: juxta Varronem (V, 161) testudo translato sensu, est locus in aedibus fornice tectus in modum testudinis conformato; a ditissimis Romanorum adhibebatur. *In lusas auro*: id est, in quibus artifex auro ludens, aliqua depinxerat (Servius, in h. l.) Cod. Palatinus et Romanus minus poetice *inclusas* habent. (Cf. Prudentius, *Peri Stephan.* XIV, 100). *Ephyreia*: ad Ephyrem pertinens qua Corinthus significatur.

*Fucatur*: Fuco inficere, tingere. Proprie hic est *misceri, temperari*, ut in se-

quenti versu *corrumpitur*, cum adjuncta tamen notione, ut notat Heyne, *in deteriorius mutationem fieri*, ut vitiatum, contaminatum sit. (Cf. Lacerda, Stampini, in h. l.). *Veneno*: medicamentum quo color inducitur, praesertim purpurae; saepe in malam partem sumitur; unde Caius (*Dig.* 50, 16. 236): «qui venenum dicit, adjicere debet malum an bonum sit, nam et medicamenta venena sunt, quia eo nomine omne continetur, quod adhibetur, ejus naturam cui adhibitum est mutat».

At secura quies, et nescia fallere vita

Dives opum variarum, at latis otia fundis

Speluncae vivique lacus; at frigida Tempe

Mugitusque boum mollesque sub arbore somni

470

Non absunt: illic saltus ac lustra ferarum,

Et patiens operum exiguoque assueta juvenus,

Sacra Deum sanctique patres: extrema per illos

Justitia excedens terris vestigia fecit.

*At.* Fucatum istum civium splendorem compensat rusticae vitae securitas, simplicitas, rerum copia, amoena loca, nativae voluptates, frugalitas, religio. «Admonendi lectores quam alacris et vivida evada haec multarum rerum amoenarum enumeratio repetitione particulac at» (Forbiger) *Secura quies*: separata a curis. *Nescia fallere vita*: active *nescius* dicitur qui non potest aliquid facere, qui non vult. *Nescia fallere vita*

nihil aliud esse potest quam vita tuta, nullis casibus nec metui obnoxia. (Cf. Heyne-Wagner, in h. l.) *Nescius* cum infinito apud poetas tantum invenitur. «*Nesciaeque humanis precibus mansuescere corda*» (Geor. 470); *vinci nescius armis*. (Ovid. Pont) *Frigida Tempe* plur.: Umbrosae et temperatae valles; poetice Tempe pro quolibet valle. Tempe, vallis Thesaliae a poetis celebrata ob singularem loci amoenitatem. Sic describi-

(1) Cf. Num. sup. p. 93.

tur ab Ovidio: «Est nemus Aeoniae praerupta quod undique claudit Silva, vocant Tempe, per quae Peneus ab imo Effusus Pindo, spumosis volvitur undis» (Metam. I).

*Mollesque sub arbore somni:* In mentem venit primum bucolicon *tu patulae recubans sub tegmine fagi... inter flumina nota et fontes sacros frigus captabis opacum... saepe levi somnum suadebit inire susurro.* Et illud Horatianum: *Libet jacere modo sub antiqua ilice, Modo in tenaci gramine, Labuntur altis interim ripis aquae, Queruntur in silvis aves, Frondesque lymphis obstrepunt manantibus, Somnos quod invitet leves.* (Epod. II, 23 seq.) *Operum:* speciatim sumitur

Me vero primum dulces ante omnia musae 475

Quarum sacra fero ingenti percussus amore

Accipiant, caelique vias et sidera monstrent,

Defectus solis varios lunaeque labores;

Unde tremor terris, qua vi maria alta tumescant

Obicibus ruptis, rursusque in se ipsa residant. 480

Quid tantum oceano properent se tingere soles

Hiberni, vel quae tardis mora noctibus obstet.

*Me vero...* Post laudatam vitam rusticam, optat ipse accipi in patrocinium musarum, quarum sacerdos est, ut doceatur rerum naturalium cognitionem. *Ante omnia* non refertur ad *primum*, ut vult Heyne, sed ad *dulces*, ut probat Wagner, suadet verborum collocatio et alia Vergilii loca. (Cf. Ecl. II, 61: «nobis placeant ante omnia silvae»). *Quarum sacra fero:* quarum sacerdos sum. Poetae musarum sacerdotes appellantur; sic Hor., *Carm.* III, 1, 2, «Carmina non prius Audita musarum sacerdos, Virginibus puerisque canto». *Percussus:* ita optimi et antiquissimi codices; alii legunt *percussus*. *Accipiant:* benigne accipiant. *Caelique vias et sidera:* Endia-

de opere rustico seu de agricultura. Usurpatur absolute vel cum adjectivo *rusticum* vel *ruri*. (Cf. Cic. *Cato Major* 7-24; *Geor.* I, 276). *Exiguoque:* ita legitur in codicibus Romano, Mediceo, Veneto. Vossius cum paucis legit *parvoque*, fortasse ex Aen. IX, 607: «At patiens operum *parvoque* adsueta juventus». *Sacra Deum:* apud agricolas servatur religio, et parentes sancti habentur et filiali reverentia coluntur. *Extrema per illos:* periphrasis seu locutio poetica quae sibi vult: supersunt inter agricolas priscae iustitiae vestigia. (De *Iustitia* seu *Astraea* Cf. Arat. *Phaenom.* 100 seq.; Ov. *Met.* I, 850, *Faḡ.* I, 4249).

*des, pro siderum vias per caelum.* Antiquiores poetae res physicas magno studio tractaverunt, ut Xenophanes, Empedocles, Aratus et Lucretius, quos Vergilius imitari contendit. (Cf. *Lucr. De Rer. Nat.* V, 735 seq.).

*Tumescant, residant:* his verbis significatur accessus et recessus maris. Similis accessus et recessus apud Plinium his verbis signantur: *accedere - reciprocare; afluere - remeare; inundare - sorberi; exundare - mitescere; augeri - minui.* (Apuḡ Lacerda, in h. l.) *Quid tantum:* periphrasis seu locutio poetica, cujus sensus est: Cur dies hiberni tam cito occidant.

(sequar)

HENRICUS MARTIJA, C. M. F.

## Commercium Epistulare

*Paulus Cañizares C. M. F. Rdo. P. Emm. Jové C. M. F.  
salutem plurimam dico.*

Has inter cotidianas alumnorum exercitationes elegi, quas tibi mitterem foliis externis PALAESTRAE inserendas, si placebit dignasque, ex iis aliquam saltem, *tanto honore* censueris; ni fastidieris, alias hujuscemodi promitto versiones, quae plane demonstrent Latinitatis parvos aetate cultores apud *Latium* cursantes, impares non esse ceteris omnibus *idioma nostrum* longe lateque per orbem pertractantibus.

Certamina si instituas praemiis appositis, ut fecisti jam pridem, juvenes ultro accurrant nobili studio victoriae promerendae.

Ad me quod attinet, aliquid de Horatiana philosophia calamo vertam, si tamen tempus suppetat atque numerorum exstructa acies otii quietem mihi relinquet.

Mihi indulgeas, quaeso, et veniam dones. Valeto et ora pro me.

*Emmanuel Jové, C. M. F. Rdo. P. Paulo Cañizares fratri s. p. d.*

Post annos tuas iterum litteras saluto, ad me ex Italia datas. Quantum gaudeo te in istas venisse terras ubi sermo Latinus quondam vigit. Profecto qui adeo eum colueras apud nos, quotiens monumenta perspicias, quibus abundat Italicum solum, non poteris non animo perfrui.

Ex duabus quas misisti scriptiones unam Antonii Leghissa inserui in PALAESTRAM et deinceps ne cesses mittere, quas, mihi crede, nullatenus fastidiam. De certaminibus instituendis rem animo pensitabo.

Id optimum mihi visum est quod ad Extraordinarium Horatianum, quem paramus, de Horatiana philosophia scribere polliceris. Non possum tuum non plaudere consilium quod gratissime accipimus. Novus illucescat vobis prosper, et prosequatur annus. Vale.

*Andreas Avenarius Emmanueli Jové suo sal.*

Non mirum te mirari, cur nihil rerum ex Bavaria afferatur tam diu. Promptior tamen eris ad veniam dandam, si audieris ad has quoque litteras tempus ereptum esse mihi ex tam multis negotiis, atque cusas esse ab eo, qui jam jam discederet ad iter illud in Sarae pagum ingrediendum; nam cum duodecim priores sacerdotii annos transegerim in illa regione nunc suffragii jus est, quo nisi usus eris, contra patriam fecisse merito censearis. Proximam huic epistolae noctem igitur scito me in via ferrea pervigilasse; quo die haec legis, suffragium tulisse. Mensis december plenissimus fuit epistolis post nominalem diem scribendis, et pastorali auxilio. Natalem Christi, quo tu die nominalem agere soles, remotus eram a sede mea in parvo vico, tui non immemor. Ante natalem testimoniorum compositio majorem hebdomadae partem absumpsit. Inter haec omnia assidue monet liber Karreri, ut Palaestram

cogitarem, Palaestrae adlaborarem. Post reditum igitur statim inchoabitur. Quin in ipso itinere portabo mecum, ut, nisi somno mergar, post absolutum officium Divinum de instituendo opere mediter. Spero te, labente ad finem mense, ex illa materia habiturum in manu, non modo, quod tibi satis facere cogor, sed quod etiam pudet Herderi, librarii qui ante annum librum ultro misit, ut in Palaestra sermonem instituerem.

Hic mihi quidam frater ex laicis nostris attulit imagunculam Patroni mei, in cujus dorso imprimendas curaveram tres strophas iambicas ex sexto hymno Andreae. Primum exemplar tuum esto; adlatum in tempore est. Hae imagines memoriam jubilaei sacerdotalis nostri retinebunt. Inscripta res hieroglyphice est et manu. Si vis interpretari, sic leges: Andreas Avenarius Presbyter Christi 25 annos sacerdos die 6 mensis secundi. Quo die te illis remotis paeninsulae Pyrenaeicae partibus amici memorem apud Deum esse, magno est gaudio. Ora Deum ut me similem faciat patrono, et quidem mature, nam aetas nostra incredibilem in modum contabescit. Hoc spatium quindecim annorum, quo exacto de Sara flumine suffragiis decerneretur, tum infinitum est visum; et tamen praeteriit. Et viginti quinque anni, cum longum tempus esse videatur, ubi elapsus est somnium te vidisse reris. Tandem maturitas caelestis regni comparanda! Sed jam dicendum, quod in proximo fasciculo commentariorum nostrorum, si aptum judicaveris, collocandum cures. Vale. Ex urbe Tirschenreuth V. idus Jan. Et festinanter.

*Emmanuel Jové Andreae Avenario  
in ejusdem jubilaeo sacerdotali salutem in Domino*

De tarditate litterarum veniam petimusque damusque vicissim. Tandem et ad me tuas et meas ad te pervenire videmus et alacres et dilectione refertas. Nonis Februariis velim has tibi dari ad manus ut ad vesperam quicquam novum addant gaudii et laetitiae ob tantum jubilaei tui sacerdotalis festum. Postridie igitur gratum me tibi fore et tui memorem singulari modo ne dubitaveris et ad altare Domini et in divino officio et in aliis per diem ad Beatam Deiparam precibus.

Tibi gratulor et civibus tuis qui adeo bene jus vestrum ad Sarae terram tuiti estis. Exitum talem, fortassis non ite plenum, exspectabamus vobis omnes Hispani qui ut plurimum non simulato amore ferimur in Germanos. Te profecto videbam mente cum suffragium in urnam mittebas, deque re fratres certiores faciebam sicut de omnibus quae in posteriore epistula tua mihi significaveras.

Patroni tui imaguncula aliud erit tuae caritatis testimonium quod maximi facio, ut debeo. Eam in Breviario servabo ut per oculos ad te mente ferar.

Ut animadvertisti in PALAESTRAE LATINAE numero Febuario, quod petieras sum executus. Salve et vale.

Cervaria Kal. Februariis.

## Quo modo latine vertenda Hispanica vox *Peseta*

Apud omnes nationes politiore urbanitate excultas viguit consuetudo proprios nummos seu monetas cudendi easque germanis suis vocibus exprimendi. Nunc etiam in omnibus fere gentibus unitas, quam vocant nummariam, qua populi et externi et interni in commercii relationibus reguntur, stabilita est.

Haec autem unitas apud Hispanos est *peseta*. At cum de re nummaria latine designanda usque ad id tempus summum intercesserit discrimen et difficultas inter auctores, et apud nostrates vix exstiterit qui per germanam nativamque vocem computare auderet, sed fere semper aut *franci* aut *libellae* desumerentur, visum est non injucundum lectoribus fore, si rationes quibus movemur ad admittendam Hispanicam vocem in Latino sermone, ostenderemus. Primum de etymo vocis dissereamus ut inde inferamus Latinitatis jure gaudere posse vocabulum *peseta*, ac denique de recta vocis scriptione agemus.

VOCABULI ETYMOLOGIA.—Hispanorum *peseta* est nomen derivatum a *peso* et vulgari suffixo *eta*; *peso* autem a Latino *pensum* promanat (1). Investigamus igitur qua ratione progressum est a Latino *pensum* ad Hispanicum *peso*. Scimus jam Tullii temporibus consonantem nasalem *n* vix aut ne vix quidem prolatam in sermone fuisse et tandem sublatam, ut videtur, per nasalem halitum in praecedentem vocalem invexum (2). Sic Quintilianus: «Consules exempta *n* littera legimus» (3); Tullius autem, ut refert Velius Longus (4), «*foresia*, *Magalesia* et *hortesia* sine *n* littera libenter dicebat»; et Charisius «*mensam* sine *n* littera dictam Varro ait» (5). Probatur etiam ex inscriptionibus in quibus insculpta adparent: *cosol*, *cesor* (C. I. L., I, 31), *cosensu* (C. I. L., I, 552), cet. (6); ex transcriptionibus Graecis verborum Latinorum, ut Ὁρτήσιος = *Hortensius*, Κλήμης = *Clemens* (7); ac praesertim ex linguis romanis in quibus invenies: *sponsa sposa esposa, épouse, mensis mesis mes mois* (8). Ideo liquet progressio: *pensum pesum peso*, quae vox *peso* olim apud nostrates ut nummus usurpata est et in quibusdam reipublicis Americae in usu est hodieque (9).

De suffixo *eta*, addito voci *peso*, pauca. Origo hujus suffixi ab *ittus*, *itta* vulgari terminatione promanare videtur, sicut et ab eo procedunt similia suffixa quae in Italo, Gallico et Catalaunico sermone habentur (10). Vocabula Hispanica

(1) Cfr. *Diccionario de la lengua española*, 1925. sub voce.—(2) Niedermann, *Compendio de fonética latina*, trad. R. Mendizábal. S. J., 1920, § 25, 87; Grandgent, *Introduction to Vulgar Latin*. trad. F. B. Moll, Madrid, 1928, § 171. — (3) Quintil. *Instit. Orat.* I, 7, 29.—(4) Keil, VII, 79.—(5) Grandgent, *Latín vulgar*, § 311. — (6) Cfr. Sommer, *Handbuch der Lateinischen Laut- und Formenlehre*, Heidelberg, 1914, 136, b; Rötter, *Die Aussprache des Lateinischen*, 1925. p. 26.—(7) Sommer, *Handbuch*, § 136, b.—(8) Cfr. *mensa mesa (mesa), pensat pesat (pesar), consuo cosuo (coser), consutura cosutura (costura)*. «El grupo latino *ns* se reduce a *s* desde la época del latín vulgar y no hay por qué decir que abundan formas como *mesa... defessa, leonesis. ipsa presa de vestros molinos...*» Menéndez Pidal, *Orígenes del español*, I, Madrid, § 56.—(9) Haec esse videtur evolutio semantica vocis: *peso cosa pesada, cantidad de plata, moneda de la misma materia: peso peseta*; cfr. cum iis quae in opere *Llave del griego*, E. Hernández—F. Restrepo, Frigurgo, Coment. 2086.—(10) Cfr. Grandgent, *Latín V.* § 37 cum § 201.

saepe hoc suffixo finiuntur, verbaque ex eo efficta primum velut diminutiva forte habita sunt, sed nunc ut positiva usurpantur sine diminutionis sensu (11): *camiseta*, *pigueta*, *tableta*, *libreta*, *avioneta*, *papeleta*, similia (12).

Si igitur componentia Hispanicae vocis *peseta* ex Latino ceciderunt fonte, nequaquam repugnare videtur natum ad maternum regredi sermonem; nostraque sententia ex similibus vocabulis in *eta* desinentibus apud Romanos confirmatur, ut *moneta* et supina: *completa*, *repleta*, *concreta*, cet.

DE RECTA VOCIS SCRIPTIONE IN LATINUM ADMISSAE. Ex dictis inferri potest per simplicem — *s* — transcribendam esse latine vocem *peseta*; cui quidem adsertioni hae phoneticae Latinae regulae suffragantur, sive longam, ut revera est, sive brevem primam vocalem (*pes*) dicamus.

1.<sup>a</sup> Jam a primis imperii Romani temporibus — *ss* — geminata post vocalem *longam* aut diphthongum in — *s* — simplicem mutata est: cfr. *cāssus* *cāsus*, (*causa causa*) *divīssio* *divīso*.

2.<sup>a</sup> In verbis polysyllabis quibus prima syllaba est natura *brevis*, et *longa* vel natura vel positione subsequitur, consona *gemina* simplex fit: cfr. *dissero*, *disertus*, *ōffa* *ōfella*, *māmna* *māmilla* (14); ideo etiam si admitteremus radicem *pēs*, deveniret *pēs-ēta*.

Nec dictis obstat quod apud Catalaunicos *peseta* per duplice *m* — *ss* — scribatur; hoc enim factum est ut Catalaunica pronuntiatio aequaretur Hispanicae, nam — *ss* — respondet Hispanicae — *s* —. Si tamen *peseta* ex Catalaunico fonte et origine promanaret, per — *s* — scribi deberet ac pronuntiari; sunt enim apud nos *pesar*, *pesador*, *pesantor*, *pesadesa*, atque ex eadem radice provenit *peseta* (*pes*).

Constat igitur ex dictis jus Latinitatis concedi posse voci *pesetae*, nec ulla opus esse novata aut aliena voce cum per Hispanicam unitatem latine computemus.

JOSEPHUS M.<sup>a</sup> MIR, C. M. F.

N. B.—Cum res ita esset, cur nos verbum Hispanicum *peseta*, ad linguam Latinam accomodatum, per duplicem *ss* scribebamus? Ut vel exteri scilicet Hispanicam pronuntiationem conservarent, quae non nisi duplici *ss* apud ceteros populos scripto notatur, sicut olim apud classicos Latinos, quod *serius*, Deo volente, probabimus. Sed ex dictis vox *peseta* non est transferenda ex Hispanico in Latinum, sed potius transferenda fuerat ex Latino in Hispanicum. En totum habetis, lectores humanissimi.—EMMANUEL JOVÉ, C. M. F.

(11) Ad rem adplicare possumus quae in *Gramática de la lengua española*, Madrid, 1925, § 46, b, habentur: «Hay también no pocos nombres que en un principio fueron aumentativos o diminutivos, a los cuales el uso ha dado ya verdadera significación de positivos»; in Lexico tamen linguae Hispanicae verba ex *eta* composita ut diminutiva habentur. — (12) In Catalaunico, Gallico et Italo sermone terminatio de qua egimus ad diminutiva familiaria excudenda praesertim inservit; Catalaunice: *estoneta*, *floretta*, *herbeta* (cfr. Griera, *Gramática del català antic*, Barcelona, 1933, p. 141); Gallice: *coussinet*, *pauvret*, *pauvrette*; Italice: *operetta*, *opuscuoletto*. — (13) Cfr. Sommer, *Handbùch*, § 119, 4; Niedermann, *Fonét. lat.*, § 58. — (14) Cfr. Niedermann, *Fonét. lat.*, § 56; Sommer, *Handbùch*, § 119, 1.

## PER ORBEM

**Nuntia archaeologica.**—Quod Venusinus cecinit—*quidquid sub terra est in apricum proferet aetas* (Epiſt. I, 6, 24)—archaeologicis inventionibus pluries jam confirmavimus iterumque confirmabimus recentioribus quae apud nos adparuerunt inventis.

—*Pollentiae* (Polenza) in urbe ad oram sept. occid. Balearis Majoris insulae non multis abhinc mensibus epitaphium Cornelio Attico pugili in pancratio (†) devicto dicatum effossum est. Ita se habet: «HICI ACET INFELIX FATO DECEPTVS INIQVO SOLITVS ASSIDVIS DVRARE MENBRA PALAESTRIS ARTE QVOQVE SIGNI SVI PLACVITQVE FREQVENTER QVI TERRA FRVGE CREATVS ET IGNE ACVMO CREMATVS IAM NIHIL EXISTIS NISI QVOD SVPERFVIT IGNI. OSSA ATQVE CINIS IACENT SVB TEGMINE SAXI».

—In vico *Sta. Columba de la Vega* Legionensis provinciae in Hispania, juveni terras aranti lapideae inscriptiones obijciuntur, quae sapientium iudicio, saec. I regnante Tiberio signatae videntur. In ipsiſ fines Bedoniae Romanae civitatis priscae definiuntur.

—Sed his prioribus praetant investigationes atque inventiones Italicae peractae. Italica, oppidum Hispaniae Boeticae in Turdetanis ad ripam Boetis conditum a Scipione Africano creditur an. 207 a Chr. Colonia fuit Romana a scriptoribus maxime celebrata, temporibus imperii florentissima, metallorum fodinis dives, patria Trajani, Hadriani, Theodosii et forte Silvii Italici. Sed tanta gloria

tantaque majestas paene defossa conditaque remanebat (quia *aetas defodiet condetque nitentia*); ita ut Rodrigus Carus ruinam tantam prospiciens pristinumque rememorans splendorem notissimum modulaverit elegiacum earmen: «*Éstos, Fabio, ¡ay dolor! que ves ahora...*»

In votis erat defossas exuvias redimere; itaque Dnus. Aguilar anno 1925 ut labores assumerentur enixe postulavit, quos Dr. J. Carriazo in Univ. Hispalensi Prof. nuper tandem suscepit optimisque prosequitur auguriis. Haec sufficiant, quia singularia quaeque commentarius noster non capit.

**Varia.**—Socio carissimo atque in PALAESTRA commilitoni P. Ildefonso González Marqués valediximus in Rempublicam Colambianam progredientem, *Deus aethere missus ab alto eidem festinare fugam instimulavit* (cf. Aen. IV, 574), at ipse sequitur *Deum ejusque paret imperio. Tu ergo Deus ei adsis placidusque juves.*

—Ulysiponae in Lusitania prodiit commentarius «*Boletim de Filologia*» a «*Centro de Estudos Filologicos*» editus (*Lisboa, Rua da Quintinha, 15, 1.º*). In primo fasciculo vol. II, 1933 vir praeclarus F. Robêlo Gonçalves in Univ. Ulysiponensi praeceptor PALAESTRAM LATINAM commemorat eamque laudibus extollit, cui viro ex eo sicut ex aliis semel iterumque gratos nos exhibemus.

—Anno praeterito primum Romae adparuit «*Il Libro Italiano*» i. e. publicatio mensura bibliographica, quae so-

(1) *Pancration* gymnasticum est certamen quod constabat pugilatu et luctatione a Ἰλᾶν (omne) et κράτος (robur), quod omnium nervorum viriumque contentione constringeretur. Non enim pugnis modo, sed et calcibus et cubitis utebantur ut indicat Quint. 2, 8, 13.



cietatis A. G. I. L. (Agenza Generale Italiana del Libro) sit praeconium. Singuli fasciculi 24 constant paginis; continent praeterea supplementum Gallicum, Anglicum, Germanum, Hispanum. Red. et Adm.: *Roma, Via Collina, 21.*

—Dnus. Robertus W. Crutwell hoc distichum carmen Smo. Pio Pp. XI mittebat:

Saepe Urbem sanctumque Patrem celebravimus Angli:  
Anglorum votis annue, sancte Pater!  
Anglus erat Thomas noster nosterque Johannes,  
Martyr Apostolicae Sedis uterque fuit.

Tu dignare preces Anglorum audire tuorum,  
Qui Petri genibus flectimur ante pedes:  
Da nobis geminos Sanctos geminosque Patronos;  
Sanguis eorumdem testificetur — «Ave,  
Pontificum supreme, Pater sanctissime, pro quo  
Occisi fuimus jamque precamur, ave!

Smus. Pontifex ex se ipse responsionem dedit suamque benedictionem auctori impertivit. Jam vero postridie Idus Febr. Urbi declaravit constare martyrium Thomae Moro atque Johannis Fisher eosque Sanctorum numero adscribendos censuit.

J. M.<sup>a</sup> JIMÉNEZ, C. M. F.

## Bibliographia

**P. Vergilli Maronis Opera recensuit C. H. Weise.** Novae editionis stereotypae C. Tauchnitianae nova impressio. Lipsiae sumptibus Ottonis Holtze.

Vere classicorum opera ipsa commendantur, eaque cum primis quorum fama orbem complevit universum. Talia sunt profecto Vergilli opera. Quid igitur praeterea commendatur in novissima editione stereotypa Tauchnitiana? Hoc nempe potissimum praeter cetera, quod villi quidem pretio (1.80 M) et parvo volumine 452 paginarum (14 x 10 cm.) ad manum et crumenam, totum Vergilianae vitae litterarium opus complectitur: *Bucolicorum eclogas X. Georgicorum libros IV, Aeneidos libros XII*, quibus accedit *Appendix Vergiliana*, carmina scilicet quae Vergilio tribuuntur cum adhuc tenera esset aetate: *Culex, Ciris, Catalecta 15, Copa, Moretum*. Editio est apprime legibilis et accuratissima atque insuper a clarissimo viro C. H. Weise recensita, bona, inquam, amica cui Vergilius non sit inimicissimus.

**G. B. PIGHI, La dichiarazione Cesarea di Giuliano.** Extr. da *AEvum*, Milano, 1934.

Proponit Dr. Pighi in hac collatione omnia quae Caesareae declarationi a

Constantio in Julianum factae, praeceserunt, evenerunt, consecuta sunt. Luculetissimo Ammiani testimonio confirmat declarationem quam validis antea demonstraverat argumentis.

**Johannes B. Pighius—Studia Ammianea—Annotationes Criticae et Grammaticae in Ammianum Marcellium—Milano—Società Editrice—Vitta e Pensiero.—MCMXXXV.**

Cultissimus ille professor in volumine 194 paginarum quosdam laborum suorum fructus collegit quos per longum tempus in Ammianum historicum incumbens feliciter obtinuit, quique ad lectionem codicum arte critica declarandam variamque cadentis Latinitatis distinguendam consuetudinem pertinent. In prolegomnis tribus capitulis et 3 paginis agit I de variis Ammiani *Rerum gestarum* codicibus et editionibus, II de apparatu critico et notis, in III indicem librorum exhibet quibus in opere conscribendo usus est. Sequuntur adnotationes amplissime et sapienter expositae in locos magis dubios et clauditur opus utilissimo triplici indice critico, grammatico atque operum et locorum praecipuorum tum ipsius Ammiani tum aliorum scriptorum in operis decursu me-

morati. Profecto auctor bonum opus operatus est.

E. JOVÉ, C. M. F.

**Tacite.** *Dialogue des Orateurs – Vie d'Agricola*. – *La Germanie*, Texte établi et d'après Burnouf, traduit par André Cordier. *Classiques Garnier*. Paris.

Uno volumine continentur opera Taciti minora scilicet: *Dialogus de Oratoribus*, aureus ille libellus de quo diu disputatum est an Tacito esset adjudicandus, et ubi causae inquiruntur cur eloquentia a prisca nobilitate deflexerit. *Vita Agricolae*, quaedam quasi funebris laudatio, Ciceronis et Sallustii stylo consentanea. *Germania*, ubi mores hujus gentis describuntur, quae vitae simplicitate longe praestat corruptae Romanorum humanitati.

Interpres sequitur textum stabilitum a Burnouf, recentioribus tamen auctum criticis investigationibus; ab eodem magistro prolegomena mutuatur.

**Vicente Gómez Bravo.** – *Aesthetica*. Edit. Fax. Madrid. (148)

Opusculum admodum breve, ad alumnorum eruditionem accommodatum. In prima parte praecipuae notiones aestheticae generalis exponuntur. In altera exscribitur celebris illa collatio Parisiensis P. Félix, cui titulus «Ars et Christianismus»; in tertia denique, elementares bonarum artium notiones traduntur, aliquibus picturis illustratae.

HENRICUS MARTIJA, C. M. F.

**Firmici Materni** – *Consultationes Zachaei et Apollonii* ad normam Codicum recognitae, adjectis anotationibus criticis et indicibus, ed. G. Morin O. B. S. Bonnae, P. Hanstein. 1935. Pag. 134. Fl. Patr. 39.

Cl. vir Germanus Morin opus, cui operam multos ante hos annos dedit, nunc, senio aliisque laboribus pressus, accuratissime tamen edidit. Julium Firmicum Maternum operis auctorem «matremque» facit, in sententia perseverans

quam ante ipse adriperat. Firmicus quarto saec. floruit; primum gentilis, Matheseos cultor; postea christianus, Religionis propugnator libellum scribendo «De errore profanarum religionum» ad Constantium et Constantem imperatores dicatum, quod et argumento splendet et sermonis elegantia. De hac re Dr. J. Coman copiose disseruit in comm. *Revista Clasica* (Bucarets, 1932-33, pp. 74-119). Haec vero editio nitore, studio, investigatione textum cet. maxime laudanda.

**Sti. Thomae de A.** – *Quaestio de Gratia Capitis*, accedunt textus inediti S. Alberti Coloniensis et Ulrici de Argentina. Ed. I. Backes. Bonnae, 1935, 1935. Pag. 32.

Florilegii Patr. fasciculum XL, in quo doctrina de Corpore Christi mystico qualls ab auctoribus scholasticis tradita fuerat proponitur, peropportuno sane duco. In hoc fasc. continentur: a) ex operibus D. Thomae quaestio Summ. Theol. 8, p. III «De gratia Christi quatenus est Caput Ecclesiae»; b) e libris Sti. Alberti quaestiones quas P. A. Ohlmyer nuper detexit «De unione capitis quod est Christus et corporis scil. Ecclesiae»; c) demum ex Summa de Summo Bono Ulrici de Argentina caput 13, trac. I, l. 5.

**Ter Haar, F.** – *Casus conscientiae de praecipuis hujus aetatis peccandi occasionibus*. Ed. Marietti. 1934; pag. VIII-178.

Hoc opus theologicum ac pastorale in commodum confessoriorum imprimis scriptum, qui in eo non solum solutionem inventum casuum in sacro Tribunali saepissime occurrentium; sed etiam remedia paenitentibus proponenda. At non tantum confessoribus, sacris etiam contionatoribus utile quoque judicamus, quia copiosius aliis libris hujus indolis argumenta in vita pastorali agitanda usuque frequentissima tum theoretice tum practice et accurate pertactat.

J. M. JIMÉNEZ, C. M. F.

## Exercitationes Scholares

**Consilium prudens.** Die quadam puer ludebat cum clavo et malleo. Mens ejus erat clavum figere fraxino. Cum dedisset jam aliquos ictus, digitum suum percussit. Puer flens ad matrem refugit, quae quo magis eum consolabatur, eo magis puer deflebat. Paulo post tempore, advenit fraterculus, qui ei: stulte, inquit; cum rursus clavum figere intendas, malleum cape duabus manibus et ita dextra sinistra non percutiet.

J. CASAMITJANA, C. M. P.

*Cervariae.*

**De simio ambitioso.** (Vide n. p. 18) Simius quidam mortuus est. Cum fuisset ante Yen-Wangum, regem inferorum expetivit ab eo ut permitteret se renasci hominem. Yen-Wangus ad eum: Non sunt pili hominibus in corpore. Si vis igitur devenire homo, oportet ante omnia pilos qui corpus tuum tegunt, omnes avelli. Convenit!— inquit simius. Tum Yen-Wangus arcessivit aliquos diabulos ad pilos illi extirpandos. Sed vix extirpatus est primus, jam simius sentiebat dolorem non ferendum. Yen-Wangus tunc illi ridens: Si pati non potes quod tibi pilus unus extirpetur, quomodo possis devenire homo?

*Morale:* Homo eo magis est homo quo libentius relinquit suam pecuniam, significatam simii pilis. Hominum est, qui honorari non affectant, credere dumtaxat sapecas esse utiles, cum nec unam unquam impendant.

JESÚS M.<sup>a</sup> A BERISTAIN

*Onniati.*

**Simius ambitiosus.** Mortuus est simius quidam. Cum stetisset corum rege interorum Yen-Wango, supplex ab eo petivit ut liceret sibi per eum humanam assumere naturam. Dixit vero ei Yen-Wangus: Homines pilos non habent in corpore. Si vis, igitur devenire homo, ante omnia opus est ut omnes pili qui

corpus tuum tegunt evellantur. Convenit! ait simius.

Tunc Yen-Wangus arcessivit daemones nonnullos qui pilos illi revellerent. Vix vero unum revulserant, cum simius sensit dolorem non ferendum. Tunc illi subridens Yen-Wangus: Si ferre non potes ut unus a te pilus evellatur quomodo possis devenire homo?

*Morale.*—Homo eo magis se talem praebet quo libentius deserit nummos simii pilis significatos. Hominum est, ut tales se non habentium, sapecas solum esse utiles credere nec ullam unquam velle impendere.

*Oniati.*

JESUS AB IRAOLA.

**El mirlo y la golondrina.** En cierta ocasión arguyó el mirlo a la golondrina de esta manera: Todos los años coloco mi nido en lo más alto de los árboles, entretejido con pajas, hierbas y cerdas de caballo, bastante cómoda y decorosamente.

Yo, con mis cantares deleito al caminante, y a los habitantes de las ciudades y villorrios. Mas tú lo contruyes con arcilla en lugares oscuros; y volando desenfrenadamente a su derredor, no haces más que llenarlo todo con tus cantos sin armonía y tus chirridos desapacibles. ¡Oh!, cuán loco eres —le responde la otra— Al apuntar la primavera, todos me aguardan. Traigo la alegría. Busco gozosamente mi antigua morada, saludando a mis huéspedes conocidos. No hago daño a ningún fruto, mientras que tú tienes eso como costumbre, y además soy útil a los sembrados, devorando los insectos dañosos.

La providencia divina hizo que todo género de aves fuese siempre grato y utilísimo.

*En Oñate (Guipúzcoa).*

BENITO BELTRÁN.

## Compositiones vertendae

### La luna de Pekín

Un hombre volvió de la capital. (1) Desde que (2) llegó a su casa, (3) en cuanto (4) se ponía a hablar (5) de cualquier cosa que fuese (6), no hacía más que alabar (7) las cosa de Pekín. (8) Un día a la entrada de la noche (9) viajaba con su padre a la luz de la luna. —¡Qué clara está la luna esta noche!— dijo el padre. Pero el hijo respondió al punto: Esto no puede llamarse claro; hay una diferencia enorme (10) con la luna de Pekín. Furioso el padre, le maldijo diciendo: ¡Hablas neciamente! Bajo el cielo, la luna es la misma en todas partes; en Pekín hay también esta luna, ¿como

puede pues haber diferencia? Y así diciendo le aplicó un soberano bofetón. (11). Entonces (nuestro) hombre exclamó llorando: Ea! Entre nosotros todo lo demás no vale la nada! Pero lo que es (12) tu cachete es mucho mejor que los de Pekín.

#### Notulae

(1) *Urbs caput.* (2) *Ex quo (tempore).* (3) *Ad suos.* (4) *Ut primum.* (5) *Occipere loqui.* (6) *De re quacumque.* (7) *Nihil aliud quam laudabat.* (8) *Pekinensis-e* (9) *Cum nox adpetebat.* (10) *Magnum discrimen* (11) *Impingere alapam* (12) *At profecto.*

### Cucurbita et solanum tuberosum

Solanum tuberosum, (1) natum proxime,  
Cucurbita sprevit, herbarum vilissimum  
Superbe dicens (2), fructus tam rudes ferens,  
Ut extra terram proferre vetaret pudor.  
Suos magnificans, dicebat pulcerrimos  
Variosque colore, formis et volumine;  
Sibique licere sublimes (3) super arborem  
Proprias divitias sistere (4). Solanum invidiae:  
Superbis (5) frustra; tu forma solummodo  
Potes laudari; nam carentem robore  
Cibum ministras, unde nullus est vigor (6).  
Quod vero est pejus, amens et vacuum caput  
Tuo plerumque (7) homines appellant nomine.  
*Bonum laudandum est species (8), sed multo magis  
Bonos laudare fructus sapiens vir, solet.*

#### Notulae

(1) *Patata.* (2) *Llamándole.* (3) *En alto.* (4) *Colocar.* (5) *Engreirse.* (6) *Sustancia.* (7) *Ordinariamente.* (8) *La hermosura.*

---

**Prof. Emmanuel Jové, C. M. F.**  
**Moderator**

---

**Thyphographia F. Camps Calmet. - Tarraçao**